



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Proteria quadam Philosophica.

2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.

3. Gymnasium Ethicum.

4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

DECADIS III.

EXERCITATIO VIII.

De

JUSTITIA

PARTICULARI ET MANSUETUDINE.

Practico-Philosophica.

Pro disputationis exercitio ad sententiarum collationem proposita

In Gymnasio Gedanensi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Phil: Professore Publico.

Respondentis partes expediente

JOANNE DORSCHIO

Dantiscano Borusso.

Ad diem 14. Aprilis. S. N.

In Acröaterio Philosophico.

Horis ab 7. matutinis.

GEDANI. Typographo GEORGIO RHETIO exscripta. ANNO 1638.

Miſcellaneorum Decadis III. Exercitatio VIII.

De Juſtitiâ particulari & Manſvetudine.

I.

M*Vlti ſunt* S. Ambroſius, Baſilius, Ariſtoteles, Plinius, Plutarchus, *aliiq; in admiratione* Echeneidos *ſ. remoræ, exilis piſciculi, qui vaſtiſſimas navium moles plenis ventorum turbinibus agitatas nullo labore, non detinendo, non obſiſtendo, non manus injiciendo, moliendo, aliove modo, ſed ſolùm adhærendo remoratur, & â curſu avertit. Haud minus miranda eſt vis virtutis, quam* juſtitiam *appellare conſuevimus, quæ ubi hominis animo ſemel inſedit, nullâ vi, nullo molimine, a. tractu, ſed ſuavi inclinatione adeò deflectit, ut non poſſit velle, niſi juſta: non deſiderare, niſi quod jubente juſtitiâ ſibi ſuisq; æquitas addicat; non poſſidere aut retinere, niſi quod eadem aſſignante tribuatur: adeò deniq; in verſando cum alio rectum incedere, ut quod olim de* Fabricio Romano *ferebatur, faciliùs Solem ê curſu ſuo præcipites, quàm hunc â recto juſtoq; æquitatis tramite. Quòd ſi injuſtum intervenit, remoram conciliat: ne, quod pravitate inchoatum, atrociore ſcelere compleatur. Ducem quendam,* Muricam *nomine, ſalutarem remoram nominatum ex* Pierio Valerio Marlianus c. 2. th. Polit: *tradit, quòd â Rege in Civitatem Guido ad juvenes univerſos caſtrandos, (hoc n. facturum Rex furore jura-*

verat,) missus, tantum mora in itinere traxerit, ut isti re compertà veniam exorare, factumq́, mutato Rege, avertere potuerint. Inde salus genti extitit: fama moram interponenti. Ergò tàm sanctæ utilisq́, Virtutis *adeunda jam sunt penetralia, in quibus semper æqui probiq́, respectus religiosâ cum observatione versatur, nihilq́, utile, quod ab honesto alienum, æstimatur. Jam post homileticas unà cum* mansuetudine, *fas est eam discutere.*

2. *Fuerunt* Virtutes Conversationem dirigentes. *Videndæ sunt virtutes,* actiones nostras cum alijs *gubernantes. Nam in Conversatione vel familiaritatem, vel actionem aliquam regendam esse* d. 7. t. 2. & d. 3. t. 17. *diximus. De familiaritate regendâ præcedens exercitatio egit.* Actio *est* vel *nostra alijs exhibita,* vel *aliorum nobis. In actione nostrâ cum alijs justè nos habeamus, quorsum inclinat* justitia: *In aliorum erga nos* mansuetè *& humaniter nos habeamus, quorsum mansuetudo & Clementia. Vtraq́, hac exercitatione lustranda.*

3. *Justitia particularis* vel *quà præcognitionem spectari queat,* vel *cognitionem.* Præcognitio *expendet,* An nova & peculiaris virtus distincta â cœteris virtutib. particularibus sit justitia particularis? *Esse talem â naturâ oppositorum & formali ejus ratione patet.* A naturâ oppositorum, *nam injustitia particularis est peculiare vitium morale distinctum ab omnibus reliquis. Nam qui plus justo accipit, nec intemperans, nec audax timidusuè, nec mendax, rusticanus, illiberalis aut ambitiosus dicitur, sed præcisè injustus, peculiari vitio morali. E. & opposita isti vitio virtus est distincta moralis virtus, quæ justitia particularis. Oppositorum n. similis est ratio quà cognitionem & distinctionem.* A formali ratione, *quia nulla cœterarum particularium virtutum medium in di-*

stri-

ſtributione & commutatione rerum externarum ſervat, ut nec plus nec minus, ac par eſt, capiatur, quàm ſola hæc juſtitia particularis. At hoc peculiare munus & formale virtutis eſt. E. ex eo etiam peculiaris & diſtincta à cæteris virtus exurgit, quæ mediocritatem circa tale objectum tali modo componat. In contrarium *obvertitur, quòd juſtitia omnes virtutes velut ſpecies ſub ſe comprehendat: ſit mater & nutrix cæterarum virtutum: non verſetur inter duo extrema ſibi oppoſita, ut virtutes ſpeciales ſolent, ſed unum, injuſtitiam: nullum affectum ſ. motum hominis internum moderetur & ad mediocritatem componat: ſit hominis bonum alienum & ad alium referatur, ut docetur* 5. Nicom. c. 3. *Cum virtus ſit bonum poſſidentis proprium: Et injuſtitia non ſpeciale vitium, ſed commune omnium vitiorum adjunctum ſit. Quid his reponendum, per diſcurſum dicetur. Quædam ex* d. 3. t. 10. d. 4. t. 6. 7. 26. *patent.* Conf. Timpler. 3. Eth. c. 10. q. 1. Strevesdorf. d. 1. & jur. q. 59. a. 1. q. 57. a. 7. 8.

4. PræCognitio *juſtitiæ particularis fuit: Sequitur* Cognitio, *quæ nominalis & realis.* Nominalis *per homonymiam, Etymologiam, & ſynonymiam. Hæc in voce juſtitiæ* d. 4. t. 2. 3. 4. *viſa ſunt. Interdum vocatur & æquitas. Vt in illo* Vlpiani l. 1. ff. d. pact. *Hujus edicti æquitas naturalis eſt, i.e. decretum naturâ juſtum eſt. Interdum æquitati contradiſtinguitur.* V. d. 4. t. 23. *Interdum notat concordiam & conſenſum rerum, ut cum juſtè factum dicitur, quod conſentaneè & cum partium velut concordiâ actum eſt: Interdum virtutem ſpecialem ad jus ſuum cuiq; reddendum diſponentem, Vt hîc. Vox* particularis *interdum notat oppoſitum ſingulari, ut cum propoſitio alia particularis, alia ſingularis dicitur: Interdum ipſum ſingulare, ut cum individuum particulare quid in ſpecie dicitur: Interdum utrumq; indifferenter, ut cum in modo*

Darij Minor particularis jubetur esse, ubi comprehenditur singularis: Interdum aliquid, quod in agendo ad certos effectus est determinatum, quomodo causæ particulares dicuntur, quæ certa in suo genere agunt, non omnia: Interdum quod circa particularia objecta occupatur. Sic sapor sensus particularis, quia determinati objecti, sapidi: sensus communis Universalis, quia omnium objectorum sensilium: Sic disciplinæ Philosophicæ, Physica, Pneumatica, Arithmetica, particulares, quòd particulare objectum Philosophiæ delibent: Metaphysica universalis, quòd Ens ut ens in universâ latitudine speculandum assumat. Hoc modo justitia particularis *dicitur, quòd circa determinatum objectum, cujus moderationem præscribit, occupetur, ut* d. 4. t. 26. *dictum. Dicit & just:* moralis, *ut universa* legalis *dicebatur.*

5. *Nomine viso res ipsa in definitione, objecto, proportione, divisione, effectis & oppositis spectetur.*

6. *Definio sit:* Justitia particularis est virtus moralis directa, medium prudentiæ in usurpatione rerum externarum, in quibus plus a. minus, lucrum aut damnũ locum habet, servare faciens.

7. *Ex genere dicitur Virtus moralis directa. Hæc ex* d. 3. t. 17. *patent. Differentia à formali ratione versandi & objecto est sumpta.* Formalis ratio *est medium prudentiæ in rebus externis servare facere. Medium prudentiæ ex* d. 3. t. 14. *Servare facere ex* d. 5. t. 6. *patet. Prudentiæ medium hic paulò aliter, quàm in reliquis virtutibus moralibus servari testatur* Aristot. 5. Nicom. c. 9. *Et ex duobus patet.* 1. Medium *justitiæ non versatur inter duo extrema actu & realiter distincta, ut cæterarum virtutum, ut liberalitas inter avaritiam & profusionem, fortitudo inter audaciam & timiditatem, temperantiam inter intemperantia & insensualitatem*

tatem, quæ extrema realissimè sunt distincta, ut actionibus distinctis & contrariantibus constituantur: Ut & uni subjecto in unâ actione simùl convenire ob repugnantem naturam nequaquam possint. V. d. 4. t. 27. *Sed ratione & virtute tantùm distincta, ut quoàd rem quidem sit unum vitium, quoàd rationem tamen formalem & considerationem Ethicam duplicem anomian in se habeat,* & excessum, *ratione pluris, quod quis capit, quàm sibi debetur,* & defectum, *ratione minoris, quod alteri confertur, quàm ipsi debetur. Etsi utrumquè istud vitium Ethicè spectatum, uno tantùm nomine injustitia vocetur.* V. d. 3. t. 10. *E. g. injustus in vendicandâ sibi alienâ pecuniâ uno eodemq; actu quoàd rem & essentiam, duplicem committit vitiositatem quoàd rationem & considerationem* Ethicam: *& excessum, dum sibi plus vendicat, quàm jure debetur: & defectum, dum alteri minus relinquit de suo, quàm ipsi jure debetur.* 2. Medium *justitiæ* & *rationis est medium, quale omnis reliquæ virtutis,* V. d. 3. t. 8. 14. & rei, *quod non est in cæteris virtutibus, ut nempe quoàd rem ipsam absolutè nec plus nec minus capiatur, quàm par est, non attentâ conditione personæ, temporis, loci, dignitatis, nisi peculiaris necessitas intercurrat, ut post patebit. &c. Hoc medium Arithmeticum & rei imprimis in justitiâ commutativâ servatur, ubi vi justitiæ æqualitas rerum, non personarum s. conditionis persona attendi dicitur. Ita ut æquo pretio æquæ generositatis vinum vendere cogaris rustico aut bubulco, ac vendideris Consuli, aut secus faciens à virtute deviare censearis. Quanquam & hic dici potest observari* medium rationis formaliter, etsi sit rei materialiter. *Omnis virtus servat medium rationis ex se & formaliter, in quantum* virtus est, *i. e.* prout recta ratio ex judicio viri prudentis *ratione omnium circumstantiarum & cæteris paribus determinaverit:* si hoc

cum medio rei coincidit, per accidens & materialiter id est, *non eligitur à virtute, ut præcisè medium rei, sed ut rationis est: in hoc enim casu recta ratio tale medium dictat, & sic quà à ratione servandum dictatur, à virtute servatur, atq; ita in formali suo, quod ad virtutem habet, omninò medium rationis dici potest. Sic igitur justitia particularis medium prudentiæ servabit, nec sumendo plus, quàm sibi debetur, nec tribuendo minus, quàm alteri debetur, & in rerum commutatione, ubi contractus sunt, & distributione, ubi præmia aut incommoda occurrunt. Sic etsi commutativa æqualitatem rerum simpliciter spectet:* tamen ratione variarū circumstantiarum eam spectat: *pretium n. rerum statuendum vel pro copiâ earum, vel nostrâ indigentiâ. Sic cum annonæ est copia, pretium decrescit: cum inopia, accrescit. Et sic medium prudentis rationis etiam hic servatur.* Casus l. 5. sp. mor. c. 3. *om. virtutem servare medium rationis respondet, si actum spectemus, non si habitum a. proportionem. Sed alienè hæc opponuntur. Habitus virtutis & actus virtutis ab habitu profectus idem servat medium eandemq; proportionem. Rationis formaliter, rei interdum materialiter.* Dices: Tale medium & *in temperantiâ servari potest, nam castitas docet uti propriâ uxore simpliciter, nullâ circumstantiâ reliquâ attentâ, nunquam permittit alienâ uti. E. & hic medium rei est. R. Hic concurrit* & *temperantia* & *justitia.* Temperantia, *quà modus ponitur Veneri, nec illicito tempore, loco, modo, illa exerceri jubetur, sic est medium rationis:* Justitia, *quà ab alterius uxore simpliciter abstineri jubetur, & sic alteri, quod suum est, relinquitur: sic est medium rei propter justitiam, quà rem ipsam: quà rationem prudenter id dictantem medium Rationis.*

8. *Circa hoc medium prudentiæ in justitiâ observanda sunt duo.* 1. Ratio & causa, *quæ ad illud servandum nos indu-*

ducat. Hic cogitet homo, 1. Naturæ *præceptum esse*, quod tibi fieri vis, id alteri feceris: *& quod tibi fieri non vis, alteri non feceris. Hoc fundamentum est omnis justitiæ in vitâ communi servandæ, & naturæ à DEo inditum, ac à Christo repetitum est.* Matth. 7. v. 12. Luc. 6. v. 31. *& à Tobiâ seniore filio præscriptum.* Tobi. 4. v. 16. Severus *Imperator in palatio & publicis operibus illud perscribi jussit, & frequentissimè in ore habuit.* Lamprid. in vit. ejus. *Etsi fundamentum omnium præcisè virtutum non sit: justitiæ tamen inter homines colendæ rectè esse dicitur. Exhaurit enim totam illam partem juris naturalis, quà officium nostrum erga homines continetur, ut neminem lædere, & cuiq; suum tribuere. Circa sensum ejus nota,* 1. Quòd voluntas nostra *sit regula officij erga alium præstandi, non qualitercunq; se habens, sic enim turpe quid sibi volens, faceret idem alijs: sic inebriari volens inebriaret alios, ad scortandum invitari volens invitaret eò alios:* sed ut benè ordinata, *rectificata, perturbationibus vacua, ac ad lumen naturale probè conformata est. Sic quod nobis fieri vellemus, præstare debemus alteri: & quod nobis fieri nolumus, alteri exhibere non debemus. Sic si nobis, cum miseri essemus, eleemosynam à ditioribus erogari velimus, debemus & eandem pauperibus erogare.* 2. Quòd *voluntas sit regula officij non in sensu identico & formali, ut quod ab alijs nobis fieri volumus, idem in specie vel numero alijs faciamus: sic enim heri cogerentur servis suis servire, nam id sibi à servis fieri volunt: Magistratus cogeretur subditis parere, nam id à subditis sibi fieri vult: Et idem numero vinum, quod pro me emissem, pro altero emere cogerer, quod impossibile: Sed analogico & hypothetico, vel simile officium, vel idem, si scilicet nos illorum loco essemus, notante. Sic si nos servi essemus, vellemus heros benignos esse. Tales ergò & servis esse*

de-

debemus, cum heri sumus. 2. Æquum esse, *homines justitiam inter se colere, cum in brutis imaginem ejus observemus. Sic Ciconiæ & vultures Africani gratitudinem exercent.* V. Scalig. ex.231. ſ. 4. *Elephanti adulteria horrent, & æquitatem rigidè observant.* Aristotel. l. 5. hist. an. c. 14. l. 9. c. 46. *Cameli cum matribus nunquam congrediuntur.* Id. l. 9. c. 47. *Iniquum autem est, hominem à brutis in virtute colenda superari.* 3. Exempla *justorum & ob id laudatorum frequenter adspiciet, ut Aristidis, Solonis, Agesilai, Salomonis, Lycurgi, aliorum, quæ* Zvingerus vol. 14. l. 6. *suppeditat: & injustorum, ac ob id vituperatorum, ut Lysandri, Neronis, Caligulæ, aliorumq́, quæ apud eundem* vol. 16. l. 1. vide. 4. Christianus *etiam scripturæ præcepta de colendâ justitiâ considerabit.* Exod. 23. v. 1. 2. 3. 6. 7. 8. Lev. 19. v. 35. 36. *fugiendâ injustitiâ.* 1. Thesſ. 4. v. 6. 2. Tim. 2. v. 19.

9. 2. Modus, *juxta quem illud medium prudentiæ in Justitiâ particulari est observandum. Hic communiter* proportio *vel proportionalitas dicitur, cujus frequens in hac materiâ est mentio, de quâ consequenter jam aliquid est præcipiendum. Debet justitia lucrum seu nimium commodum, quod unus in aliquo actu injusto sentit, & nimium damnum seu incommodum, quod alter, cui injuria facta, expertus est, ad æqualitatem redigere, ut* t. 12. *patebit. In eo enim est iniquitas, quòd alter plus boni sentit, quàm par fuit: alter plus damni, quàm ipsi debitum fuit. Quæritur,* quam proportionem *& analogiam Justitia servare debeat, ut istam iniquitatem ad medium redigat, ut fiat æqualitas, & sic fundamentum justitiæ introducatur?* Proportio, *voce Mathematicorum propriâ, dici potest* certa quædam numerorum & magnitudinum ad sese comparatio & collatio. *Estq́* primaria & secundaria. Primaria, *quæ primariò in numeris & magnitudini-*

dinibus observatur. Est vel Arithmetica, *cum perfecta æqualitate numeri à se distant, ut 2. 4. 6. 8. Qui omnes binitate à se distant:* vel Geometrica, *cum numeri duplâ vel majore proportione inter se distant, ut quoties primus continetur in secundo, toties secundus in tertio, tertius in quarto, & sic consequenter; ut 4. 8. 16. 32. 64. Hic ut 4. bis est in 8. Sic 8. bis est in 16. & 16. in 32. &c.* vel Harmonica, *cum tanta est numeri maximi ad minimum proportio, quanta differentia intercedentis inter duos majores ad differentiam inter duos minores. Vt 3. 4. 6. 3. & 6. sunt numeri maximi & minimi. 2. est differentia inter majores 4. & 6. intercedens, 1. inter minores 3. & 4. Vt 6. tanquam maximus bis continet 3. tanquam minimum: ita differentia majorum 4. & 6. nempe 2. bis continet differentiam minorum, 3. & 4. nempe 1.* Secundaria, *quæ secundariò interdum attenditur. Et statuitur quibusdam* 1. Directa, *cum primus cum secundo, tertius cum quarto directè comparatur. Vt, sicut 3. ad 6. Sic 12. ad 24.* 2. Permutata, *cum primus cum tertio, secundus cum quarto permutatur. Vt, sicut 6. ad 18. ita 12. ad 36. se habent, in proportione nempe triplâ utrumq́. 6. enim ter in 18. & 12. ter in 36. continetur.*

10. *Ad eandem rationem per analogiam extendendo voces* proportio Ethica *potest dici* actuum moralium certa inter se comparatio, ad æquitatem conformata. *Estq́; etiam* vel Arithmetica, *in quâ attenditur æqualitas rerum commutandarum ex se & suâ mensurâ ac pretio, non attentâ contrahentium dignitate aut merito. Hanc in just: commutativâ servari dicunt, ubi v. g. vinitor cum agricolâ frumentum permutare vult. Modius frumenti 1. fl. venditur, vas vini 8. fl. Redigendo ad æqualitatem simpliciter proportio valoris rerum attendenda, ut res permutata fiat pretio tanta, quantum valet permutanda, nullo habito respectu personarum,*

quæ, vel quales illæ sint. Ita pro vase vini 8. modij frumenti dandi: ita æqualiter servati est proportio, ut neutri a. damnũ majus aut lucrum apportetur, sed valore pretij tantum agricola accipiat, quantum vinitori commutavit: Vel Geometrica, *in quâ per se ratio personarum quantum ad meritum, & rerum distribuendarum, quantum ad pretium, attenditur. Vt enim in Arithmeticis proportio Geometrica non nudam distantiam numerorum, sed rationem proportionalis continentiæ attendit: Sic in Ethicis hæc non nudas res, sed* rerum pretia personarum meritis moraliter *per se debet adæquare. Hanc in distributivâ servari ajunt. Sic præda inter ducem, Capitaneum, & milites distribuenda. Dux se ut 12. Capitaneus ut 6. miles ut 3. habeat, ex præsumpto majore minoreq́ labore & merito. Dux enim universa ordinat, disponit, præcipit. Capitaneus suo signo ea intimat: Miles exequitur. Ergò æqualiter vi justitiæ distribuendo Ethicè duci 1000. taleri, Capitaneo 500. & militi 250. cedent in præmium, quia tantâ proportione morali merita eorum æstimantur. Hic qualis est ratio Ducis ad Capitaneum, nempe dupla, & Capitanei ad militem, etiam dupla: Talis & erit distributio rerum, Duci, capitaneo, & militi, distribuendarum. Vt ubi miles 100. taleros accipiat, Capitaneo 200. & Duci 400. assignentur.* Harmonica proportio *in moralibus etiam quibusdam commendatur, ut summè utilis & judiciosa, quæ temperamentum exactum meritorum & præmiorum servet, ut* Bodino l. 6. d. Rep. c. 6. p. 1094. & in meth. hist. c. 6. Alstedio Polit. 2. c. 7. §. 4. Keckerm. d. 32. Curs. Philoso: q. 1. Timplero l. 3. Ethic. c. 10. q. 11. *aliisq́. Sed vix in hac certum & immotum formale constitui potest, quod distributionis sit norma & fundamentum: Sed ubi ad ultimum devenitur,* arbitrio & prudentiæ *judicis ac Majestatis omnia committuntur. Quod*

& incertum & pernitiosum est, ut Arnisæus dis. d. prop. Arith. t. 2. *loquitur. Cumq; omnis æqualitas, quam Justitia moralis observat*, vel *ex personarum merito & dignitate æstimetur, ut in distributione:* vel *rerum ipsarum æqualitate, ut commutatione, frustra ad tertiam ac mediam æqualitatem, quam harmonica proportio constituat, recurritur, quæ & nulla est inter illas duas: & si esset, in moralibus frustranea esset. In commutativâ justitiâ prop. Arithmeticam, in distributivâ Geometricam servari ajunt, de quo in speciebus justitiæ videndum.*

II. Ex objecto *dicitur justitia medium servare* in usurpatione rerum externarum, *in quibus lucrum aut damnum locum habere potest. Objectum justitiæ particularis* vel *potest esse internum, ut affectus concupiscendi lucri, aut damni alij inferendi:* vel *externum, ut res quævis externa, in quâ ratio lucri aut damni inveniri potest. Res hæc externa* uno nomine *appellari nequit, sed varias diversissimasquè rerum species sub se comprehendit. Generaliter illa res externa* omne contrahibile & distributivum *dici potest. Sub contrahibili omnia illa objecta comprehendantur, quæ justitiæ commutativæ subijci solent, quæ contractus dici solent: voce nimis strictâ, quandoquidem plura sub se comprehendit, quàm contractus, ut hæreditates, acceptiones & dationes, &c. Sub distributivo illa, quæ tanquam publica in partes secundum portionem cuiq; debitam pro quantitate & proportione summæ distribui debent, ut præmia & onera.* Usurpatio *rei externæ est ejus ad qualemcunq; nostrum usum applicatio. Potest etiam dici dispositio, dispensatio, usus, usitatio rei externa, & similiter. Illa usurpatio* velut generalis conceptus *est ad species, sub eâ quâ justitiæ rationem comprehensas, quæ commutatio & distributio dici solent: Unde postea justitia*

 com-

commutativa & distributiva dicitur. Unde & in generali justitiæ particularis definitione communiter in commutatione & distributione rerum externarum *eam versari dicitur. Sed non sunt vocabula* Specierum *in definitionem* generis *actu & expreßè ponenda, si omninò generaliores voces haberi queant. Sic malè definies testimonium sententiam testis divinam vel humanam: Malè animal corpus vivum sensitivum rationale vel bestiale: malè virtutem habitum facilem & expeditam facientem operationem intellectualem vel moralem. Debent n. definitiones generum abstrahi à speciebus actu & expreßè positis, & indifferenter ad illas se habere, ut postea illis assignari queant. Sic hic in justitiâ melius dicitur versari eam in* usurpatione *rerum externarum, quæ deinde vel in commutationem, vel distributionem dividi, tanquam species, potest: quàm actu nominando species usurpationis, & in commutatione ac distributione rerum externarum versari dicere. Ita rectè* Strevesdorf. d. just. & jur. q. 61. a. 3. *commutationem & distributionem usus exteriorum, vel rerum, vel personarum, vel operum ait esse.*

12. *Dicitur porrò objectum externum justitiæ esse* res externa, in quâ lucrum a. damnum locum habere possit. *Hoc est formale in re externâ, cujus ratione soli justitiæ particulari tanquam objectum substernitur, nulli alij virtuti. Res externa* variis virtutibus *pro objecto esse potest. Ita Temperantia circa cibos, potus, & Veneris usum versatur: Liberalitas circa opes & pecunias: Modestia circa honores: fortitudo circa res terribiles, &c. Sed nulla sub illâ ratione circa eas versatur*, quatenus lucri vel damni ratio in illis locum habet, *ne aut plus lucri, quàm par est, ad alterum deveniat, aut plus damni ad alterum: sed æqualis proportio inter utrumq; ita servetur, ut jus & æquum postulat, præterquam*

quam sola hæc virtus, Justitia particularis. Vox damni & lucri *hic non sumenda rigidè, prout in contractibus spontaneis, quos homines subeunt, locum habent, ut emptione, venditione, locatione, oppignoratione:* Sed analogicè *& ampliativè, ut & ijs competat, quæ invitis hominibus fiunt, in quibus lucrum rigidum aliàs non conceditur. Lucrum hic generaliter notat plus boni & commodi, minus mali, quod ad alterum redundat: Damnum plus mali, incommodi, minus boni, quod ad alterum. Vt Petrus percussit Johannem: lucrum & commodum est penes Petrum percutientem, damnum & incommodũ penes Johannem percussum. Judex ad æqualitatem istum percutiendi actum reducet ex justitiâ, ut tantum damni vicissim redundet ad percutientem Petrum, quantum inferre destinavit percusso Johanni.*

13. *Ita explicata definitio justitiæ particularis. Apud* JCtos *communiter* constans & perpetua voluntas *definitur, jus suum unicuiq; tribuendi, ex* §. 1. Instit. l. 1. & l. 10. ff. d. ju. & ju. *Nam universalem justitiam hic intelligi non posse* d. 4. t. 9. *dictum est. Sed nec genus nec differentia hujus definitionis satis quadrant.* Non genus, *quod est voluntas, quia tropicum hoc, metaphoricum, & metonymicum est, qualia genera in definitionibus non ferenda, si propria suppetant, per* 4. Top. c. 3. & 6. Top. c. 2. *Sic malè Plato Philosophiam meditationem mortis definivit. Nil prodest, excipere,* voluntatem pro voluntatis habitu *inclinante sumi. Hoc ipsum enim vitiosum est in definitionibus, voces tralatitiè sumere, ubi propria suppetunt:* Vel dici voluntatem constantẽ *& perpetuã, non simpliciter voluntatem. Hoc enim etiam indecorum est. Justitia enim propriè & sine tropo loquendo, non est voluntas ullo modo, & sic nec constans, nec perpetua voluntas: sed voluntatis constantia vel habitus constans. Deinde* τὸ constans

in habitu redundat, si voluntas pro voluntatis habitu sumatur, habitus enim est firma & constans qualitas facilitans operationem. Et sic hoc modo explicata definitio πλεονεξία *laborabit:* Vel, *diuturno usu obscuritatem vocis voluntas, pro habitu voluntatis, expirasse, ut velut sit proprium significatum vocis factum. Emolliuntur enim tropica diuturno usu, & velut in propriorum civitatem asseruntur. Nam & hæc impertinentia. Emolliatur obscuritas vocis tropicæ longo usu: non tamen inde* pro genere *in accuratâ rerum definitione usurpanda, si propria adsit, quam usurpare possis, quod hîc omninò est. Abuti enim hoc est patientiâ Philosophorum, Tropica pro propriis, quæ sufficienter adsunt, substituere. Posset* in usu loquendi *utcunq; ferri, voluntatem dicere pro voluntatis habitu:* sed in accuratâ veri definitione ferri non debet. *Dubitari etiam potest, an* apud accuratos Philosophos, *quorum hæc doctrina est propria, voluntas usurpata occurrat pro voluntatis habitu: quidquid de* ICtis *sit, de quibus illud* Rami in anim. Aristot: p. 121. *usurpâro:* Cæsar hominibus civitatem dare potest, verbis non potest. *Et illud* Tertulliani: *Fides nominum salus proprietatum. Non differentia quadrat: Ex mente enim* ICtorum *justitia hic definita tria juris præcepta complecti debet, quæ postea subjungere solent, H. V. N. L. & S. C. T. Sed hic tantùm una istius particula ponitur, suum cuiq; tribuere, cætera membra omittuntur, quæ tamen etiam ad totale objectum justitiæ pertinent. Et sic differentia est partialis, cum debeat esse in legitimâ definitione adæquata & totalis. Nam jus suum alteri tribuere etiam de illo affirmare, qui absolutè honestè pro se vivit, nonnisi alienissimè fieri* d. 4. t. 9. *dictum. Ita effectum justitiæ, jus, longè latius sumerit, & tria juris præcepta complectetur, cum Causa juris, Justitia, tantùm unum complectatur, Quod in-*

conveniens. Nec satisfaciunt Dom. Soto *responsiones, quas* l. 3. d. just. & qu. q. 2. a. 7. *reponit, & probat* Hornej. 3. Eth. c. 11. n. 14. *Omninò n. differentia adæquata ab actu completo formaliter est sumenda,* ubi per voces *licet, non partiali. Hic a. per voces lɪcere ex dictis palàm est. Ita si justitia illa, quæ ad 3. Juris præcepta fusa sit, hic definienda sit, habitus definietur honestè vivendi & cuiq; suum tribuendi.* Conf. Amesium l. 5. d. Consc. c. 2. q. 1.

14. *Ita definitio Just: particularis, ex eâ Objectum & proportio: Sequitur* divisio. *Ex speciebus just. part:* vel est distributiva vel commutativa. *Quæritur,* An proba hæc divisio, & qualis? *An generis in species, an rei in modos existendi? Probam negat* Sculteтus l. 1. Eth. c. 28. *Quòd justitia longè latiùs fundatur distributione & commutatione, ac veracitatem, gratitudinem, innocentiam, etiam comprehendat. Et distributiva non sit species justitiæ particularis, sed ipsa tota justitia, Cum suum cuiq; tribuere & rectè distribuere idem sit: Et neutra proportio justitiæ, veracitati, gratitudini, & innocentiæ applicari queat. Hæc rectè confutat* Timplerus 3. Eth. c. 10. q. 9. 13. *Breviter notetur* 1. Justitia *latè sumpta omnem Virtutem comprehendit,* V. d. 4. t. 3. *Sed hic* pressiùs *sumitur, ut circa bona externa in quib. lucri aut damni ratio, tãtùm occupatur.* V. t. 3. *Ita veracitatem, innocentiam, excludit.* 2. Innocentia *omnium virtutum generale adjunctum & effectum est, idem ac probitas vel honestas morum.* V. d. 3. t. 19. *non peculiaris Virtus moralis.* 3. Veracitas *peculiare objectũ morale & versandi modum â justitiâ part: habet, & sic consequenter distincta ab illâ virtus, non sub eâ comprehensa.* V. d. 7. t. 20. Gratitudo *ad just. remunerantem pertinet, vel ut species, si publica sit: vel ut analogon quid, si privata, cum quis benefacti memor cum studio referendi est, quomodo huc eam re-*

referunt Eth. Maurit: l. 2. c. 28. & Timplerus c. l. *Vel gratitudo & observantia non virtutes, sed virtutum actus sunt:* vel justitiæ, *quà debetur superiori a. æquali.* vel liberalitatis, *quà beneficij ratio habetur. Non hic nudus affectus a. habitus sufficit, â quo nemo gratus a. observans dicitur: Sed* actum unâ cum affectu *concurrere oportet, ut compleatur gratitudo & observantia. Quæ a. actus sunt, inter peculiares virtutes non sunt numeranda. Qui affectu tantùm gratus est, non ex virtute, sed dispositione aliquâ & semivirtute talis dicetur, quæ in semivirtutibus referri possit. Alij observantiam & gratitudinem ad partes Justitiæ potentiales referunt. Vt* Conimb. d. 9. Eth. q. 1. a. 4. & Ja. Martin. C. 9. d. 4. q. 9. *alijquè. Sed hic multa ἀλλότρια intercurrunt: quædam virtutes Theologicæ sunt, non morales: quædam actus, non habitus: quædam usus fructusq; virtutum sunt, ut amicitia, non Virtutes.* V. t. 26.

15. Buridanus in 5. Eth. q. 7. *in modos justitiam part: ita dividi censuit, q. Just. part: sit species infima, & distributivum ac commutativum velut diversi modi redigendi res ad æqualitatem sint. Sed* in species *esse patet* 1. Ratione. *Virtutes diversis objectis formalibus, actibus, subjectis & proportionibus distinctæ sub uno generali conceptu, plus quàm modis distinguuntur, adeoq; sunt diversæ species sub uno genere contentæ. Habitus n. ex objectis, actibus, & proportionibus distinguuntur. Sic liberalitas & justitia etsi circa divitias versentur, quia tamen diverso formali versantur, distinctæ virtutum species sunt. Sed distr: & comm: ita differunt.* Objectis formalibus, *illius res externa publica & publicè distribuenda: hujus privata & privatim commutanda: Illius est debitum non antea in dominio possidentis detentum, & sic tributum; sed ex justitiâ ex publico attribuendum: hujus debitum*

pro-

proprium & usu possidentis receptum, postea ad alterius jus vi justitiæ translatum: Vt cum meas pecunias pro mercibus in dominium alterius, cum quo commuto, transfero. Actibus, *illa distribuit communia, hæc commutat propria. Distribuere & commutare sunt diversi actus.* Subjectis, *Illa publicis personis, in quantū publicæ & membra communitatis sunt, competit: hæc privatis, ut privatæ sunt.* t. 6. 18. *Illa est q. totius ad partes, hæc partium ad partes inter se est.* Proportionibus, *illa Geometricam, hæc Arithmeticam in agendo attendit.* t. 10. *Generalis conceptus est unus, Just. particularis, Cujus definitio utriq; speciei subjectæ competit,* V. t. 6. *E. & hæc divisio est in veras species, non modos agendi tantùm.* 2. Authoritate *Aristotelis, qui* 5. Nicom. c. 7. *Distributivam justi speciem vocat, & commutativam diversam à priore speciem habere dicit.* L. 4. Eudem. c. 2. *distrib. Vnum juris genus, Commut: alterum vocat. In Græco est vox εἶδος, & posteriorem ἄλλο εἶδος τῦ πρότερον vocat. Rationes in oppositum, quæ divisioni in species obvertantur, ap.* Timplerum 3. Eth. c. 10. q. 9. Strevesdorf. d. ju. & jur. q. 61. a. 4. *vide. Non dicuntur hic diversæ species tàm rigidè, ut in uno subjecto nequeant concurrere: quomodo leonem, bovem, asinum, diversas species animalis bruti vocamus: aut nunquam in uno actu certâ ratione concurrere possint. Sic n. actus aliquis & distributivæ certo modo esse potest, & commutativæ. Cum v. g. beneficium a. stipendium à præside inter pauperes studiosos dividitur pro cujusq; inopiâ, est & actus* distributivæ, *quia beneficium velut publicum præmium est, & studiosi velut publica Societatis vel collegij membra sunt, & proportio distribuendi Geometrica pro cujusvis inopiâ servatur, ut plus egenti plus distribuatur, minùs egenti minus detur:* & Commutativæ, *quia vi justitiæ strictè obligatur præses singulis summam præcisè a-*

qualem juri suo, quod ad accipiendum habent, erogare: Ita ut si major alicujus sit inopia, & non plus altero minus egente accipiat, jus habeat plus poscendi â præside: Et præses commutationem violavit, quia minus pretium donat, quàm jus, quod ex inopiâ ad doni quantitatem habet inops, postulavit: velut in commutatione mercium, si non æquale valori rerum tuarū pretium acceperis, jus habes poscendi majus pretium ab emptore, quia valor tuæ rei majus pretium vi justitiæ requisivit. Sed laxiore modo hic diversæ species virtutum dicuntur, quia objecta formalia & modos versandi diversos habent.

16. Distributiva est just. particularis, æqualitatem proportionis Geometricæ moralis in distributione rerum externarum publicarum inter partes, quà publicæ sunt, servare faciens. *Ex* genere *dicitur just. particularis. Hæc ex* t. 6. *seq: patet. Quomodo in complexis terminis simplicem terminum pro genere reassumere solemus. Vt Syllogismus modalis est syllogismus. Terminus complexus est terminus Logicus. Virtus moralis est virtus, &c. Ex* differentiâ *dicitur æqualitatem proportionis Geometricæ moralis in distributione rerum externarum publicarum inter partes, quà publicæ sunt, servare faciens. Ex objecto & modo versandi hæc sunt desumpta. Ex modo versandi æqualitatem proportionis Geometricæ moralis servare faciens dicitur. Aequalitas & proportio Geometrica ex* t. 9. 12. *patent. Servare facere ex* d. 5. t. 6. *Distributiva proportionem Geometricam moralem servat, i.e. servat æqualitatem rerum ad personas per se, respiciendo earum statum, merita, dignitatem, utilitatem, & omninò id, ex quo majus minusvè rei meritum ac pretium æstimari potest. Objectum enim distributivum, quod â just: distr: distribuendum est, præmium vel pœna, debetur membris* ratione totius, cujus sunt membra; *unde & tribuendum* secundum eam

pro-

proportionem, quam habent ad totum f. *Rempubl. & communitatem, Cujus membra sunt: quæ proportio est Geometrica. Vt enim persona & meritum unius Civis ad personam & meritum alterius civis: Ita & præmium vel onus unius ad præmium & onus alterius civis proportionatè se habere debet. Ergo cùm cives dissimilis status, conditionis, meriti, facultatis, sint, etiam pro istâ ratione diversâ, præmia & onera illorum diversa esse debent. Ita majus præmium a. onus ferat in Republ. qui major pars Reipub. est, minus, qui minor. Sic cujus civis meritum ratione considerationis omnium circumstantiarum moralium duplo majus est merito alterius civis, ejus præmium etiam sit duplum præ hujus, & si huic 100. Imp. cedant, illi 200. tribuantur. Ita ubi contributione levanda Respublica,* majus onus tribuendi addices ei, qui se habet ut 10. quàm illi, qui ut 4. *Vt si hic 4. Imperial. solvat, alter 10. in horum vicem pendat, & sic consequenter.* Conf. t.10. *Fundamentum diversitatis inter cives varium esse potest. Apud quosdam nobilitas prærogativam habet: apud alios libertas: nonnullos opulentia & divitiæ, alios merita, virtutes, dignitates, vel alia in pretium attollunt, prout status Reipubl. fuerit, de quo* Arist.5.Nicom.c.6. Bodinum 6. d. Rep. c.6. *vide. Proportio Geometrica manet eadem, cum personarum dignitas & meritum spectantur: etsi fundamentum istius proportionis variare possit.* Bodinus c.1. *omne Geometricum ad regium & aristocraticum statum pertinere ait: omne arithmeticum ad democraticum. Hoc falsum esse ipsa distribuendi ratio, quæ in omni statu Reip. servari potest, docebit, ubi Geometrica ratio tàm in democratiâ, quàm Monarchiâ a. Aristocratiâ locum invenire potest.* V. Hornejus 3. Eth. c.12. n.8. 9. Piccolom. gr.10. c.10.

17. *Objectum Just. distributivæ est* vel *circa quod*, vel *cui distribuitur*. Circa quod *distributio versatur, dicitur* res externa publica. *Res externa, quæ justitiæ objicitur, hic dicitur*, quæ extra naturam subjecti est, quod justitiam administrat. *Hæc* vel *publica esse potest, quæ de communi totius Reipubl. bono a. malo inter cives, ut partes Reipubl. sunt, distribuitur:* vel *privata, quæ de privato bono inter cives, ut privatos exercetur, ut in contractibus, emptionibus, venditionibus, &c. Distributivæ objectum est* res publica & commune quid *ad totam Rempubl. spectans, & inter cives, quatenus publicæ communitatis membra sunt, distribuendum. Estq;* vel bonum *& commodum, ut præmia, honores, beneficia publica, libertates, dignitates, privilegia, &c.* vel malum & incommodum, *ut onera publica, servitutes, contributiones, labores publici. Vnde cum præmium vel onus confertur publico nomine, & quatenus pars publicæ communitatis recipiens illud est, ex justitiâ distributivâ conferri censetur. Sic si agri hostibus erepti, a. præda inter cives vel milites distribuatur, quia publicum quid est, & civibus ac militibus, ut publicæ civitatis a. exercitus membra sunt, distribuitur, ex justitiâ distributivâ conferri dicitur. Sic cum onera publica publico nomine civibus, ut membra societatis sunt, inferuntur, ut Contributiones, munimenti extructiones, vectigalia, jugationes, adærationes, capitationes, &c. distributio est. Cum aliquid non ut publicum,* sed ut privatum, *nec ut ex publico reservato, sed privato, nec ut personæ publicæ, sed ut privatæ confertur, non justitiæ distributivæ censetur. Vt cum privata merces, beneficium, stipendium ob navatam operam confertur, ut Consiliario ob salubre consilium, militi ob strenuum factum, Civi ob proditionem revelatam, a. privatam industriam præmium datur. Sic cum pœna irrogatur alicui, non ut civi publico, sed ut privatim delin-*

delinquenti irrogatur, adeoq; commutatio est, non distributio. Non enim eo nomine vel respectu infertur, quatenus membrum civitatis est: sed quà delinquens est. Inflictio pœnæ, executio justitiæ, & vindicatio injuriæ, ad Rempubl. & publicam potestatem pertinent: sed persona lædens, non ut publica, sed ut privatim delinquens hic spectatur, itaq; non est vera distributio, sed commutatio. Sic cùm civis contrahit cum cive, emendo, vendendo, usucapiendo, &c. est commutatio, non n. hic ut publica membra, sed ut cives privati spectantur. Objectum cui *distribuitur, dicitur aliàs subjectum, & est pars publica, quatenus talis, i.e. quatenus præcisè publico nomine, ob publicum finem & utilitatem, & pars publicæ societatis est, aliquid ei confertur vel imponitur. Sic cum onera civibus, quà tales sunt, imponuntur ob communem Reip. salutem, quæ illis procuratur, ex distributione fieri censetur. Hæc ex antedictis uberiùs patent. Conf. de hac justitiâ* Agricolam l.1. Symb. Pythagor. c. 21.

18. Justitia commutativa est justitia particularis, æqualitatem proportionis Arithmeticæ moralis in commutatione rerum externarum privatarum, & privato nomine debitarum, inter personas privatas servare faciens.

19. *Ex objecto dicitur versari in commutatione rerum externarum privatarum. Objectum commutativæ justitiæ uno* adæquato *& satis generali vocabulo exprimi vix potest,* ut t. 11. *notatum.. Aristoteles* συνάλλαγμα *vocat, quod reddiderunt contractum. Hæc vox in* voluntariis *commutationibus usurpatur. Sed justitiæ commutativæ etiam* involuntariæ *obligationes objiciuntur, ut tenearis v. gr. solvere promissum, reddere debitum vi justitiæ, ut maximè nolis. Adeò ergo laxè sumatur vox contractus, ut & obligationes ex delictis, & ex q.*

 deli-

delictis, & voluntarias & invitas comprehendat. Quomodo in ipso jure l. omnem ff. d. judic. *vocem contractus extendi notat* Hornejus 3. Eth. c.13. n.2. *Ita commutationes vel contractus sunt varij, quidam voluntarij, cùm utrinq; animus commutandi adest, ut emptio, venditio, locatio, conductio, commodatum, mutuum, usus, fructus, &c. quidam inviti, cum ab unâ parte voluntas non adest, ut in furto. Hi* vel *lædunt aliquem in re, ut furtum, & rapina;* vel *personâ, idq; vel ratione incolumitatis, vel dignitatis, vel in supposito proprio, vel alieno & conjuncto, prout latiùs hæc persequitur* Hornej. c.l. n.3. *Dicitur* res externa privata, *i. e. quæ tanquam privata ab aliquo possidetur, & in quam jus nomine non publico habetur. In distributivâ erat aliquid commune & publicum inter membra, ut publica, distribuendum: Hic est aliquid non publicum, inter membra tanquam privata commutandum, qualecunq; illud sit, quod uno generali nomine vix est exprimendũ.* Ex subjecto *dicitur inter personas privatas æqualitatem servare.* Privati *sunt, qui sub conditione privatorum æstimantur. Possuntq; hic esse* vel *qualibet partes Reip. inter se, ut Cives vel unius Reipubl. vel diversarum, ut homines privati inter se:* vel ipsa Respublica *privato nomine spectata cum alio contractum instituens. Sic si Respub. à privato aliquid emat, a. illi elocet, vendat, usumfructum concedat, aut ministris suis vel militibus in bellum conductis stipendia pro operibus privatis eroget, just. commutativæ actus sunt.*

20. *Ex* modo versandi *dicitur æqualitatem proportionis Arithmeticæ moralis servare. Proportio Arithmetica ex* t. 10. *patet. In illâ attenditur res & res simpliciter, non persona a. meritum contrahentis. Sic si pro re 10. aureos promiseris, teneris ex promisso reddere, licet tantum pretium ipsius rei absolutè non sit. Sic in contractu societatis res rei adæquatur,*

tur, i.e. proportio lucri proportioni sortis s. pecuniæ ad sortem collatæ, insuper habitâ dignitate a. merito conferentis. Esse in hac justitiâ talem proportionem observandam patet, 1. Quia *justitia requirit, ut tantum lucri reportes, quantum proportionatè posuisti. Et tantum pretium sumas, quantum proportionatè res ipsa a. promissum requirit, citra dignitatem a. meritum tuum. Hoc n. in commutationibus spectatur, ut tantum alter recipiat lucri aut incommodi simpliciter & citra alium respectum, quantum ab altero in illum profectum est. Sic qui ædes vendit, tantum pretij ab emptore expectat, quanto domus aut per se, a. per contractum compensari potest, non quantum præstantia aut meritum emptoris postulare queant. Sed ubi talis æqualitas spectatur, ibi Arithmetica proportio servatur, per* th.10. 2. Quia *opposita æqualitati hujus justitiæ, inæqualitas, primò & per se ex ipso facto æstimatur, non merito aut æstimatione inferentis injuriam, nisi morale discrimen inferatur, de quo* t.23. *Sic injuriam infert probus, si alium defraudat, perinde ac improbus, non æstimatâ conditione personæ, quòd aliàs sit proba. Ergò & opposita æqualitas justitiæ hujus primò ex ipso facto spectanda, i.e. proportione Arithmeticâ.*

21. *De* pœnis infligendis & *scelerum vindicationibus specialiter hic* duo *quæruntur.* 1. Quâ proportione infligendæ, *an Arithmeticâ, an Geometricâ, an mediâ & harmonicâ? Adeoq; an just: commutativæ sit, pœnas irrogare, an distributivæ? Communiter Geometricæ proportionis esse dicitur, & just: distributivæ asseritur, quæ præmia & pœnas meritis distribuat. Ita quidam ex Ethicis,* Ut Conimbr. d.9. Eth. q.1. a.2. D.J. Mart. C.9. d.3. q.9. Raconis f.3. Eth. q.2. a.3. m.2. Golius Eth. l.5. c.5. Magirus l.5. Eth. c.4.5. Heilandus lib.5. Eth. c.3. Ch. Mathias l.3. Eth. ex.9. t. 27.28.

Eustach. S.Pauli p. 3. Eth. tr. 3. d. 2. s. 2. q. 5. Alsted. Eth. 3. c.14. §.10. Timpler. l.3. Eth. c.10. n.12. & qu. 11. Rigerus lib. 2. Eth. c. 25. Casus l. 5. sp. mor. c.2. Snellius p.48. Eth. Hakelmannus & Alex. Piccolomin. ap. Arnisæum lib. 1. Pol. c. 17. §.10. *alijq́.* *Quidam ex* JCtis. Ut Wesenbec. in parat. ff. d. just. & ju. n.11. Mynsingerus instit. §. d. ju. & j. Ehemius lib. 5. d. prin. jur. c. 2. Alii *commutativæ justitiæ eam asserunt, & proportione Arithmeticâ infligendas censent. Ut* Averroes, Thomas, Cajetanus, Acciaolus, Soto *ap.* Hornejum l.3. Eth. c.13. n.9. Hornejus c.l. Dn. Melanch. epit. Eth. p. 91. D. Gerhard. d. Mag. Pol. §. 312. Arnisæus l.1. Polit. c. 17. §. 10. & pecul. disp. d. prop. Arithmeticâ *in pœnis.* Goclenius q. 42. Eth. *Estque ipsius* Aristotelis 5. Nicom. c. 7. *Ubi contractus vel commutationes tàm voluntarias, quàm invitas, just. commutanti adscribit. Invitorum autem emendatio nil aliud, quàm pœnarum irrogatio est.* Alii *harmonicam proportionem hic commendant, de quibus* t. 10. Alii *mediæ cuidam inter distrib. & commut. justitiæ pœnarum irrogationes tribuunt, quæ* correctiva *dicatur, ut* Amesius *vocat,* l.5. d. consc. c.2. q. 5. & l. 2. medul. c.16. n.70. *vel just. propria, ut* Sculcetus l. 1. Eth. c. 33. Alii ἐποχὴν *hic eligunt, & neutri sententiæ calculum addunt, ut* Gutkius d. 12. Eth. q. 1. Alii *inter delicta publica & privata distingvunt. Illa ad Geometricam proportionem & just. distributivam referenda, hæc ad utramq́. Ita* Walæus p. 3. Eth. p. 230. 231. *sic David ignominiam legatorum publico bello est ultus.* 2. Sam. 10. *Quæ pœna publica ad publicam justitiam pertineat, qualis distributiva.*

22. *In hoc quæsito,* intricato *aliàs, ut ritè procedatur, sequentia advertantur.* 1. Aliud est, *quidnam vi justitiæ præcisè in se & sui naturâ spectatæ sit agendũ, & quomodo delicta simpli-*

simpliciter justâ pœnâ sint afficienda, sine ullo habito respectu: aliud, *quid per justitiam* æquitate temperatam *fieri possit, quà mitigatur a. remittitur pœna ob certas circumstantias morales, quæ prudenter mitigationem pœnæ, ut publicè utilem aut necessariam, suadent & requirunt. Ubi vel necessitati cedendum: vel publicæ utilitati consulendum: vel peculiari clementiæ aliquid dandum. Sic David Joabum homicidam non statim occidi mandabat, quia publicè utilis, necessarius, ac apud populum gratiosus erat*, 2. Sam. 3. 20. *Et Simei maledicenti ignoscebat, quia reditum suum in regnum potiùs beneficio quàm supplicio illustrari utilius censebat, & Simei inter primos Regis officiosos se exhibuerat.* 2.Sam.19.v.19.20. 2. Distingvendum *inter respectum personæ physicum & per se, quo personæ dignitas primò & ex sui naturâ tantùm æstimatur: & Ethicum s. moralem, quo per aliud* ex personæ dignitate aut conditione circumstantia aliqua moralis *colligitur, aggravans debiti quantitatem moralem, vel imminuens, Et sic etiam quantitatem pœnæ moralem varians. Prior in pœnis vitiosus est, lege Dei prohibitus.* Lev.19.v.15. & Aristoteli *rejectus*, 5.Nicom. c.7. *Posterior admitti potest, & facit discrimen delictorum morale, adeoq; inæqualia peccata, & sic etiam inæqualibus pœnis afficienda. Notat n. hic vox personæ non Metaphysicè suppositum intellectualis naturæ tantùm: sed* conditionem vel qualitatem personæ ob causam considératæ, *i.e. conditionem factum vel exaggerantem vel minuentem. Sic servus, eò quòd servus, graviùs peccat in herum, quàm alienum: filius graviùs in patrem, quàm affinem a. ignotum: subditus in proprium magistratum, quàm exoticum. Illis n. major debetur reverentia, quàm alienis, & sic etiam majore pœnâ talia delicta coërcenda. Sic graviùs peccat Consiliarius, si principem prodat, quàm si extraneus id facit, quia magis prin-*

cipi obstrictus; graviùs persona publica & eminens, quàm privata & vilis, quia exemplo & scandalo plus nocet. Sic eadem pœna Physicè potest esse diversa Ethicè & morali consideratione, pro circumstantiâ personæ, cui infligitur, cui longè majus damnum ex eâ irrogatur, quàm delictum promeritum est. Sic si monoculus oculum alteri eruerit, & talione vicissim oculo privandus sit, longè gravius incommodum ei incutitur, si prorsùs excæcetur, quàm alteri binoculo, si unus oculus ei eruatur. Hic circumstantia personæ pœnæ identitatem Physicam *auferet, &* Ethicam f. moralem *inducet, quæ ex æquali damno ac incommodo incusso pensanda. Idem valet de unâ aure, manu, pede, prædito, qui non eâdem talione physicè cum binaure, bimano, bipede, puniendus, quia inæquale & longè gravius damnum illi emerget, quàm huic. Sic nequam delinquens fustigatur, virtuosus Senatu, civitate, statu, &c. movetur. Sic* in l. capitalium, §. In servorum. ff. d. pœnis. *Ex quib. causis liber fustibus cæditur, ex his servus flagellis cædi & domino reddi jubetur: & ex quibus liber fustibus cæsus in opus publicum damnatur, ex his servus sub pœnâ vinculorum ad ejus temporis spatium flagellis cæsus domino reddi jubetur. Æqualis pœna Ethicè est, quia tantum damni remotione huic infertur, quantum fustigatione illi, etsi Physicè inæqualis. Distingvendum hic inter conditionem personæ, ut sic: & inter variationem delicti moralem, moraliter inde exsurgentem, & consequenter diversam pœnam moraliter loquendo requirentem.*

23. 3. Conditio personæ *moralem circumstantiam inferre potest delictum aggravantem vel minuentem, quæ in infligendâ pœnâ adeò observanda, ut non observata injuriam inferat. Circumstantiæ morales quid in morali consideratione possint,* d.2. t.14. *dictum. Quæ hoc casu spectandæ, ita comprehendi possunt:* Quantum, quale scelusq; ætasq; , scientia,

tia, sexus, conditio, tempus, locus, ista modusq; tenentur. *Inprimis hic attendenda* proæresis & intentio, *iteratio, & objectum, in quod peccatum est. Qui proæreticè & ex malâ intentione peccat, moraliter longè graviùs peccat, ac qui imprudenter, judice ipsâ Scripturâ,* Luc. 12. v. 47. *Qui voluntatem Domini scit, & non facit, multum vapulabit. Sic voluntarius homicida etiam ab altari abstrahendus de lege DEI erat.* Exod. 21 v.14. Deut. 19. v. 11. 12. *Sic delicta à nobili vel virtuoso commissa interdum graviùs punienda, quàm à vili aut obscuro, quia in illo major scientia iniqui, major ingratitudo non agnoscens bona DEI, majus scandalum publicum & exemplum præsumitur, quàm in hoc. Sic delictũ sæpiùs iteratum graviùs punitur semel commisso, quia major proæresis præsumitur.* V. d.2. t.14. *Contrà, ubi non proæresis & intentio præsumitur, sed imprudentia & humana infirmitas, vel validior animi perturbatio, mitiùs punitur nobilis & virtuosus vili & vitioso, quia ille pro solito more plus delictum cavisse, hic minùs pro more id egisse præsumitur. Sic lex divina casuali homicidio asyla constituit.* Exod. 21. v.13. Deut. 19. v. 5. *quæ proæretico negat. Et herum occidentem servum à pœnâ capitali eximit,* Exod. 20. v.21. *& oculum a. membrum ei corrumpentem à talione Physicâ liberat.* v. 26. 27. *Cum alios inde non excipiat. Et hîc valet :* Duo cum faciunt idem (Physicum) non est idem, (*Ethicum & morale,*) quia non fit ex causis & circumstantiis iisdem. 4. Pœnæ quantitas *& identitas in moralibus non æstimanda est ex identitate supplicii Physicâ, sed incommoditate Ethicâ, cum nempe tantum damni puniendo infertur reo, quantum injustè agendo inferre voluit insonti, dicitur* moraliter *æquali pœnâ affici. Sic nobili tantum damni infertur relegatione, quantum servo fustigatione, unde æqualis pœna dicitur moraliter, etsi sit inæqualis*

 natu-

naturaliter. Hoc ex membro 2. ampliùs patet. Moralia enim moraliter sunt spectanda, *non naturaliter, transcendenter, aut Arithmeticè.* 5. Omnis gradatio *pœnarum & delictorum non evertit proportionem Arithmeticam, ut cum furtum restitutione ablati, homicidium ademptione capitis punitur: sed ea tantùm, quà æqualibus delictis Ethicè, inæquales pœnæ irrogantur Ethicè. Sunt a. inæqualia peccata furtum & homicidium, & Physicè & Ethicè. Sic qui duplam sortem posuit in contractu, duplum lucrum aufert, nec tollitur per id proport: Arithmetica, quia inæquales res sunt, in quibus contrahitur.*

24. 6. Æqualia *peccata Ethicè & moraliter, i.e. secundum omnes circumstantias morales spectata, non Physicè, sunt æqualibus pœnis Ethicè & moraliter ratione damni, quod infertur, spectatis, non Physicè & ratione identitatis naturalis pœnæ, punienda. In hoc decisio totius quæsiti & ipsa moralis proportio Arithmetica pœnarum ad peccata consistit, ut gravitas pœnæ moralis præcisè respondeat gravitati delicti moraliter spectati, citra* προσωποληψίαν *a. respectum ullum personæ, qui non inæqualitatem delicti moralem inferat. Et hoc patet* 1. Scripturâ, *prosopolepsiam in judicando vetante.* Lev. 19. v. 15. Deut. 1. v. 17. *Respicitur a. persona, cum conditio personæ ad causam nil faciens attenditur. Hic justus judex respiciet faciem causæ, non personæ sine causâ.* 2. Ratione. 1. Justitia *commutativa inæqualia commissa ad æqualitatem rerum redigere debet, per* c. 19. *Ut si duplum ad sortem locaveris præ alio, & duplum ex lucro sentire debeas. At in judiciis & pœnis eadem æqualitas intenditur. Eò n. judicis auxilium imploratur, ut quod delicto damnum illatum est, æquali pœnâ in damno inferendo sarciatur, & sic inæqualitas rerum ad æqualitatem moralem simpliciter redigatur. Si secus fiat, & judex personam respiciat, non tollet inæqualitatem*

rerum

rerum, sed etiam intendet, dum jus suum læso denegatur: & bilem hominum interdum concitabit. Sic Mediolanenses patritium quendam carceris squalore necârunt, quòd cædes nobilibus patratas pecuniâ expiari vellet. Bodin. l. 6. de Rep. c. 6. 2. Si *pœnæ Geometricâ proportione infligendæ essent, E. quo major status & meritum delinquentis esset, eò atrociùs puniendus esset. Hoc enim proportio Geometrica requirit*, t. 10. *& propriè strictèq; distribui dicerentur. At prius illi ipsi invertunt, & nobilem mitiùs puniunt ignobili, liberum servo, patritium plebejo: posterius contra loquendi modum est, non n. pœnæ propriè distribui dicuntur, quod in illis, quæ publica, & inter plures dividenda,* V. t. 16. *sed irrogari & inferri. Quis n. dicit, supplicia hæc a. illa Reip. & communitatis totius esse, & civibus tanquam de publico depromi, & ita inter eos dividi, ut singuli eorum partem auferant, quomodo honores, pecuniæ, agri, ita dividuntur? E. non Geom. proport. infligi possunt.* 3. Authoritate *Aristotelis & aliorum, qui ab hac sententia stant, de quibus.* t. 20. *dictum.* 7. Talio *in just. commutativâ admitti potest, non physica, & Pythagorica, quæ & scelera sceleribus compensat: sed Ethica & proportionalis, quæ damnum & incommodum æquale respicit, non identitatem pœnæ specificam. Sic monoculus alteri oculum eruens fustigatione talionem sentiet, non oculi extusione & totali excæcatione, quia damnum hoc moraliter gravius esset illo, quod binoculo extusione unius oculi intulisset. Sic si magistratus subditum percusserit, non repercutietur, sed aliâ pœnæ specie par illi damnum inferetur, ac percusso inferre voluit. Si subditus Magistratum percusit, non solùm iterum mulctabitur, sed & capite fortasis plectetur, & ita talionem sentiet Conf.* Hornei. c. l. n. 24. 25. 8. Delictum publicum *aut dicitur, quòd â publicâ personâ commissum sit,*

aut quòd publicum damnum inferat. Vtroq; modo proportio Arithmetica, sed moralis, in pœnâ servanda, & ad commutationem pertinet. Vtut enim persona aut damnum publicũ sit: pœna tamen non ex communi velut reservato inter singulos distribuitur, ut præmia, onera, in distributione: sed delinquentibus ut privatis irrogatur, & hactenus est commutatio, non distributio, ut antea patuit. Sic potest publicus Magistratus, Respubl. merces commutare, contrahere, non ut publici, sed ut privati. Non fit inde distributio, sed manet commutatio, t. 19. *Plura & de oppositis in discursu.*

25. *Circa pœnas quæritur* 2. An proportio moralis pœnę & peccati maneat, si atrocib⁹ delictis in N. Testam. capitalia infligantur supplicia, *& vitæ privatione puniantur? Et si furibus capitale supplicium irrogetur?* Quà primum: *Ex antiquioribus* Lactantius l. 6. diu. inst. c. 20. *Ex recentioribus* Photiniani, ut Ostorodus c. 28. inst. §. 2. 3. 4. Smalcius c. D. Frantz. d. 6. d. reb. ciu. f. 2. & d. 7. d. bon. op. t. 114. Stegmannus in probâ c. 11. p. 432. seq: Socinus c. Palæolog: p. 2. n. 13. §. 1. n. 26. §. 1. 2. & in lib. quòd Regni Polon. c. 3. f. 24. & Gratianus Prosper in instrum. doctrin. Aristotelico (*qui Socinus esse putatur*) p. 89. *Vbi negat, juris Naturalis esse, homicidas capite plectendos: Quòd sic nullum individuum humanũ reperiretur, quod non occideret homicidas: jura n. naturalia omnibus hominib. esse communia. Vbi miram perversionem esse rectè ostendit* Junius p. 4. examinis libri *istius* §. 5. T. 2. Op. p. 298. Anabaptistæ in Colloq: Frankenth. Th. Müntzerus in ep. ad Ern. Heldrung. *aliiq;*, Weigeliani, *ut* Weigel. p. 2. post. p. 140. 141. in die Viridium p. 48. dom. 22. p. Trin. p. 330. 332. Arminiani, *ut ex* Geistero, Welsingio, Episcopio & Slatio *ostendit* Peltius harm. ar. 21. §. 2. *fanatici & Metistæ*

ad

ad negantem inclinant. Quòd sit contra regalem legem caritatis â Christo traditam, & naturâ Novi fœderis, quod tempus gratiæ, nō iræ, sit: Falsò omnes. Nam & in N. T. jus gladij conceditur Magistratui, quem non frustra *gerere dicitur.* Rom. 13. v. 4. *Si non frustra, E. & in gladium meritos stringere eum licebit. Et dicitur* vindex ad iram *ei, qui malè agit. E. cum gladio legitimè utitur, DEO ministerium exhibet, & iram DEi justè ac Deo placenter exercet. E. id ei licitum erit. Nec de Magistratu gentili id loquitur Apostolus: Sed universim de omni.* v. 1. 2. *Ab exceptionibus adversantium locum hunc vindicatum vide* ap. D. Gerhard. d. Mag. Pol. §. 299. Ex *dissentientib.* Stegmannus c. l. p. 43. *concedit, DEum Magistratui gladium dedisse in pœnam facinorosum. Ex Anabaptistis* Menno in fundam. p. 231. 233. *jus gladij in facinorosos Magistratui largitur. In N. T. non aliam caritatis legem Christus tradidit, quàm in V. T. fuit, sed hanc repetijt, explicavit, & suo exemplo confirmavit. V.* Exod. 23. v. 4. 5. Lev. 19. v. 18. Prov. 25. v. 21. Matt. 22. v. 39. Marc. 12. v. 31. Joh. 15. v. 12. 17. *& alibi pluribus docebitur. Vt ergò in V. T. contra caritatem non erat, facinorosos capitaliter punire de lege divinâ,* Gen. 9. v. 6. *Ita nec in N. est. Et N. T. est tempus gratiæ, opponendo* timori servili, *quem sectatorib. justitiæ ex operibus rigor legis incutiebat,* Rom. 8. v. 15. Gal. 5. v. 1. 2. 3. *non capitalibus supplicijs sontibus â Magistratu justè incutiendis.* Libertas *Christiana â rigore & maledictione legis in N. T. esse debet:* non licentia *ab ordine & pœnâ. Secus & monetur Magistratus, tardè ad supplicia capitalia accedat.* V. D. Gerh. c. l. §. 310. *De justitiâ in judicijs servandâ* V. Marlianum c. 2. th. Polit. *De æstimatione speciali rerum secundùm just. commutativam, quomodo expedienda, & quo velut instrumento, uberiùs* Hornejum

nejum c. l. n. 26. 27. *vide*. Quà secundum, *furtum varium esse potest. Inter quoddam & vitam hominis proportio esse potest, ut plagium, sacrilegium. Et si furta ita patrentur, ut aliter salva Respubl. esse nequeat, nisi è medio sublatis furib. proportio moralis instituenda erit* inter vitam furum & salutem. Reipubl. *Vbi omninò moraliter constabit. Plura aliàs de hoc.*

26. *Ita divisio Justitiæ fuit in species.* Ex modis *inferendi alia publica, alia privata dici potest.* Publica, *quæ in publicis actibus administratur, ut in judiciis, foro, curiâ. De hac* Marlian. c. l. *vide.* Privata, *quæ in privatis transactionibus. Vtraq; vel vindicans, vel remunerans esse potest. Ex statibus, in quibus administratur, vel togata, quæ in pace, vel bellica, quæ in bello ministratur, esse potest.* Alii *ultrà voces ampliant, & commutativæ ac distributivæ rationem etiam* in Deo cum hominibus agenre, itemq; Angelis, *reperiri dicunt,* non *per tropum, metaphoram, a. similitudinem:* sed propriè *ac formaliter, & velut in priore analogato. De hoc latè disceptantem* vid. Svaretzium in opuscul. d. 6. s. 1. *Conf. &* Crellium c. Grotium c. 2. p. 145. *Hæc justitia propriè* non moralis *est, sed eminentioris & superioris conditionis, si secundum perfectionem aliquam formaliter in Deo reperitur, quod non dissimulat ipse* Svaretz. c. l. n. 17. *& ex ratione ac perfectione abstractæ substantiæ Deo tributæ illustrat. Ac proinde ad Ethicam doctrinam nō pertinet, quæ de justitiâ agit, quæ habitus & qualitas, ac accidens prædicamentale est, quale in DEum non cadit. Agimus hic de actib. & virtutib.* humanis, *non divinis, non Angelicis.* V. d. 2. t. 5. Alii *& in divinam, quæ Deo sit debita, dividunt, ubi religionem, fidem, pietatem, caritatem, comprehendunt, & postea sacrificium, votum, juramentum, addunt,*

addunt, &c. & humanam, quæ homini, V. J. M. C. 9. d. 4. q: 9. Conimbr. d. 9. Eth. q: 1. a. 4. Lessium l. 2. d. J. & J. c. 46. d. 1. 2. seq: *Sed divina alterius fori est: & pietas, religio, virtutes supramorales sunt.* V. d. 9. t. 24. Effectum *ejus est jus & justum. Vox juris* d. 4. t. 10. *discussa. Prout hic jus spectatur, dici potest* præceptum in societate humanâ homini â rectâ ratione præscriptum. *Dicitur præceptum, quia præcipit agenda a. omittenda: & complectitur tùm actum rationis præcipientis: tùm materiam s. rem jure præceptam, quæ justa dicitur ex qualitate â jure seu jussu rationis assumptâ. Materia nempe & res jussu vel præcepto rationis contentæ dicitur justa. Homini præscriptum, quia juris, de quo hic agitur, subjectum est* homo, *non angelus, cujus jus superioris ab moralibus ordinis est: non brutū, cui moraliter loquendo nullum jus ferri potest.* V. d. 4. t. 20. *Jus naturale interdum homini cum bruto commune dicitur,* c. l. t. 22. *Sed quantum ad brutum id attinet,* verè loquendo jus illud non est, *etsi â J Ctis ita interdū extendatur. Nec n. ratio distingens bonum â malo in bruto est: nec voluntas aut electio unius præ alio: nec ulla justitia, quæ vera virtus sit. Cùm idola tantùm virtutum & umbræ in illis reperiantur.* d. 2. t. 5. *Jus a. quale hic traditur, est veræ justitiæ effectum: Sed inclinatio, potentia, operatio, & instinctus aliquis naturæ, qui certâ ratione dirigitur, prout bruti naturæ, & fini convenit; quo respectu omnes creaturæ dicuntur habere legem sibi impositam, quæ lex passivè in ipsis reperitur, quâ diriguntur & determinantur ad suos fines â DEo & naturâ, ordinariâ DEi administrâ, & sic per similitudinem jus & lex eorum appellatur.* Job. 38. v. 10. 11. Psal. 148. v. 6. Jer. 33. v. 20. 25. *Ita inclinatio & instinctus in bruto est ad defensionem vitæ, libertatis, sustentationem fœtus, conjunctionem sexus, procreationem speciei, quorum apprehensiones in brutis sunt per*

instinctum naturæ; in hominib. per judicium rationis. Sic per analogiam in brutis jus naturale vocatur, cùm propriè instinctus aut impetus naturalis sit. Conf. Valles. c. 74. sac. Philos. *Et homo contra talem inclinationem peccans exemplo brutorũ validè reprehenditur.* Esai. 1. v. 3. Jer. 8. v. 7. *Dicitur* à rectâ ratione præscriptum, *quia causa ejus est recta ratio moraliter judicans, & honesta præcipiens. Est enim jus hîc effectum justitiæ, & justitia, ut omnis virtus, à rectâ ratione ut proximo directorio, regitur, ut mediocritas prudentis rationis.* d. 3. th. 14. In societate humanâ, *quia hoc est velut objectum & finis, quo jus servandum, ut societas humana constet, & in illâ debitè ac æquè homo cum homine agere sciat.* Divisio *juris varia esse solet. Vt in naturale, gentium, & civile, divinum & humanum, universale & particulare &c. De quo* d. 4. t. 22. *vide.* Conf. Casum l. 5. Eth. c. 7. Amesium l. 5. de Consc. c. 1.

27. Oppositum *justitiæ particularis est* injustitia particularis, vitium morale mediocritatẽ moralem in usurpatione rerum externarum violans. *Vitium morale, i. e. habitus pravus actionibus repetitis acquisitus. Vna enim a. altera actio moraliter vitiosum non facit, etsi actum inhonestum faciat. Vnde distingvunt* inter injustè agere, & injustũ esse. Injustè agit *is, qui sciens volensq́ contra dictamen prudentiæ moralis aliquem defraudat, aut iniquè præmium vel aliud distribuit. Hoc modo semel iniquè agentem nomine vitiorum moralium in communi usu appellare solemus, ut qui semel furatus, adulteratus, scortatus, furem, adulterum & scortatorem dicimus, etsi frequenter actum istum non repetierit. Injustus est is moraliter, qui ex habitu confirmato sciens volensq́ actus injustos contra læsi voluntatem exerit. Vnde ad injustitiam moralem requiritur* ex parte lędentis *notitia & voluntas, ut sciens volensq́ lædere velit alterum, & ut potuisset vitare, si voluisset.*

luisset. Hinc furiosum, quamdiu talis est, nec intervalla habet, negant injuriam inferre posse, quòd non sciat a. discernat, quid agat. V. Camerar. C. 2. c. 7. *Et in seipsum etiam nemo injurius, quia nemo à seipso disparatur.* V. d. 4. t. 9. & 5. Nicom. c. 11. 15. *Nec bruta injuriâ nos afficere possunt, etsi lædere possint, quia actus illorum non cum libertate arbitrij, ratione, & præelectione, conjunctus est*: Ex parte lœsi *voluntas s. renitentia, quâ nollet id pati, quod infertur, si amovere posset. Volenti enim voluntate completâ & rectâ, non fit injuria, h. e. violatio juris per vim ac necessitatẽ coactionis illata. Si voluntas sit incompleta, ut in actibus mistis, quos vocant, ut cùm viator latroni pro redimendâ vitâ pecuniam numerare cogitur: aut corrupta, ut cùm melancholicus se occidi postulat, injuria inferri potest. Ita morte dignus est, qui alterum occidit, quamvis id expetat. Appetitus n. hic non est rationis rectæ, sed cœcæ & distortæ. Sic David Amalecitam jugulari jubet, quòd Saulem postulantem occidisset.* 2. Sam. 1. v. 15. *Sic injustè agit, qui Martyres & innocentes occidit, etiamsi ad mortem properent, eamq́ votis expetant. Appetitus n. ille est contra sanam rationem. Et injuria pro justi violatione accepta non pendet ex voluntate patientis, s. is consentiat, s. dissentiat,* sed ex regulâ justitiæ. *Hoc modo injustum fieri potest volenti & consentienti. Sic Christus in morte subeundâ fuit volens & consentiens*, V. dec. 2. d. 6. corol. 2. *& tamen injuriam passus est maximè atrocem. Plura de hoc ap.* Ch. Matthiam l. 3. Eth. ex. 9. q: 5. Ames. l. 5. Consc. c. 6. *lege. Injustitiæ & injustorum exempla ap.* Zvinger. vol. 16. l. 1. 2. 3. *vide. Iniqui Usurarij, judices injusti, raptores violenti, fures, occulti expilatores, alienorum emunctores, &c. huc pertinent.* Hesiodus l. 1. op. & di. *nec se, nec liberos suos in hâc pravitate vitæ justos esse optat. Nam* justum esse, *ait,* malum est, melior si causa malo-

malorum. *Sed justi non justitiam instar agri, quæstus gratiâ, colunt, sed instar virtutis, sui & honestatis suæ gratiâ, etsi parum in improbâ vitâ inde commodi quandoq; reperient.*

28. *Hæc de* virtute actionem nostram cum aliis dirigente, *justitiâ particulari: Sequitur* virtus aliorum actionem erga nos dirigens, *Mansvetudo. Hæc* interdum *sumitur naturaliter, pro placiditate naturali, quomodo animalia alia mansveta & cicuria, alia fera dicimus, ut leonem, tigridem:* interdum *moraliter pro habitu acquisito placidum iræ affectum reddente. Ita hic. Ita definitur* Virtus moralis directa, mediocritatem prudentiæ in irascendo servare faciens, ut in irâ & vindictâ decenter nos geramus. *Objectū ejus* vel *internum est, appetitus irascendi, & ipse iræ affectus:* vel *externum, partim* τὸ ὀργιλῆτικόν, *omne iram concitans, ut injuria, damnum, convitium, mendacium, fraus, &c. Hic dicitur* lenitas: *partim ipsa vindicta & pœna, circa quam moderandam occupata mansvetudo specialiter dicitur* Clementia. *Vt Seneca* l. 1. de. clem. c. 3. *observat. Virtus Principi & Magistratui summè necessaria. V. pulcrè Marlian.* th. Polit. c. 3. Senecam. c. l. *Secus ac vult Machiavellus, qui damnosam Principi statuit, & sævitiam commendat. Falsissimè & alienè.* V. Antimac. l. 3. c. 8. 9. 13. 14. 22. *Exercebitur mansvetudo ab homine, si considerentur causæ irascendi, quæ si sint principales & publicæ, irâ dignæ sunt: Si accessoriæ & privatæ, magis remissione obliterandæ, aut tanquam viliores nobis, rejiciendæ, quàm vindicandæ.* Objectum, cui *irascendum est, sit homo vivus, rationis compos, inferior a. æqualis, non superior: improbus, & pertinax ac voluntarius, qui proæreticè peccet:* Tempus, *quo inchoari & continuari ira debeat: non sit sub publicâ consultatione, concione, panegyri, lætitiâ, a. simili festivitate, ubi lætandum, non irascendum: nec*

nimis

nimis productum: non alenda ira, sed abrumpenda, ne in odium & furorem degeneret. V. Senecæ libros d. irâ: Modus, *quo irascendum; fiat cum honestâ proportione circumstantiarũ omnium, & ratio honestatis, intellectus nostri, delicti & delinquentis, & pœnæ ac vindicantis habeantur, ut vindicta publica â privatâ discernatur, ne aliquid istis adversum quaquâ ratione committatur. Plurib. conf.* Valentiam T. 2. d. 3. q. 10. p: 2. Photiniani *Christiano vindictam etiam publicam per Magistratum inferendam postulari non posse statuunt.* V. Smalc. d. diu. Chri. c. 5. & c. D. Frantz. d. 6. d. reb. ciu. f. 2. & d. 7. d. bon. op: t. 103. 104. Catech. Racov. maj. c. 1. p. 195. Ostorod. c. 26. inst. n. 1. 2. Stegmannum in probâ, c. 11. p. 439. 440. c. 12. p. 458. Socinum c. Palæolog. p. 2. n. 17. 18. seq: & p: 3. c. 2. *& pauca in epist. ad* Squarcialupum p: 21. *repetit, aliosq́. Falsum hoc esse ex* Rom. 13. v. 4. *apparet, ubi Magistratus vindex in pœnam malefici dicitur. Si justa est Magistratus vindicta, justa etiã erit publicæ vindictæ â Christiano facta postulatio. Quod n. Magistratus jure exequitur, id ut exequatur, justè Christianus postulare potest. Plura ap.* D. Gerh. d. Mag. §. 271. seq: D. Stegm. d. 19. Phot. q: 3. D. Frantz. vind. d. bon. op: d. 2. f. 9. Timpler. 3. Ethic. c. 1. q: 6. *aliosq́ vide. Exempla mansvetudinis & clementiæ* Zvinger. vol. 10. l. 1. 2. & vol. 12. l. 1. Manlius Collect: p: 248. seq: *habent. Specialiora mansvetudinis media sunt preces, humilitas, & cunctatio. De quib.* Conf. D. Balduin. l. 4. d. Consc. c. 17. q: 6. Ames. l. 5. consc. c. 27.

28. Opposita *Mansvet: sunt excessus & defectus.* Excessus *est* iracundia, *vitium morale in irascendo modum servare nesciens. Vt cum ex levi, a. alienâ causâ, aut nimio modo irascimur. Estq́;* vel *excandescentia, cum facili ratione ad iram delabimur:* vel *amarulentia, cum iram conceptam diu*

& occultè fovemus: vel *difficultas, asperitas, & implacabilitas, cum sine vindictâ ira non sedatur. Exempla* Zving. vol. 10. l.3.4. *habet.* Defectus *est stupiditas & lentitudo, cùm nec, ubi moraliter decet, irascimur. Estq́;* vel *generalis, quæ in omni statu adhibetur:* vel *specialis, quæ vel in Politico, & dicitur conniventia, cùm Magistratus omnibus sceleribus connivet:* vel *Oeconomico, & dicitur indulgentia, cùm parentes nimis leniter tractant liberos. Exempla* Zving. c. l. l. 5. *habet.* Quodnam deteri⁹, iracundia an lentitudo, & quodnam magis mansvetudini repugnet, *quæri hîc solet? Iracundia magis est opposita mansvetudini, quàm lentitudo, quia magis ab illâ recedit, hæc propiùs accedit: Illa magis turbat societatem humanam, quàm hæc: magis ferina & beluina est, quàm hæc: & frequentiùs circa illã peccatur ab homine, quàm hanc: itaq́; & deterior hâc. Sed & lentitudo insigne in homine vitiũ est, facit n. velut mancipium, & ad res gerendas penitùs ineptum, cum ira interdum cos fortitudinis esse queat. Et valet hîc illud:* Malè vivitur, ubi nihil licet: pejùs, ubi omnia. *Vnde rectè* Archidamidas *cuidã Charillum prædicanti, quòd erga omnes pariter mitis ac mansvetus esset, quâ fronte, dixit, laudetur aliquis, qui erga sceleratos se mitẽ præbeat?* Eras. l.1. apoph.p.83. *Oportet mansvetudinẽ junctam esse justitiæ. Secus Principis in facinorosos lenitas est in bonos crudelitas. Conf.* Camerar. C.1.c.100. D. Gerhard.d. Mag. §.308. *Et dum sceleratis parcitur, bonos utiq́; perditum itur, ut* Salustius *loquitur. Stoici hanc introducunt, dum sapientem ἀπαθῆ & sine ullo affectu esse volunt, & in totũ irasci licere negant. Sed ira, ut affectus, sapienti est concedenda, non ut habitus. Plura ap.* Kecker. d.26. Cur. Ph. q:3.4. Timpler.3. Eth. c.1.q:5. *vide.*

Hæc etiam de virtutibus actus cùm nostros, tùm alienos *dirigentibus dicta sufficiant.*

